



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXII. Vtrùm asserere, licitum esse in probabilibus agere & consulere contra propriam opinionem, contradictoria verificet, vel sensum non habeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUAESTIO VIGESIMA-SECUNDA.

Virum asserere, licitum esse in probabilibus agere & consulere contra propriam opinionem, contradictoria verificet, vel sensum non habeat?

Status
quæst. à
Celladeo
propositæ.

CELLADEUS 1. parte lib. 1. quæst. 17. contendit probare, quòd asserentes, unicuique licitum esse contra propriam sententiam operari ac consulere, in Heracliti opinionem inevitabiliter incidant, ac fateri teneantur, contradictoria simul esse vera. Hæc etiam ingens gravissimorum Auctorum aculatio est, in qua probanda more suo Celladeus deficit, ut in progressu quæstionis palam fiet. Si Celladeus legisset, quæ de hac materia scripsi quæst. 30. de Consc. prob. aut hanc quæstionem non instituisset, aut certè longè aliter illam proposuisset. Ibi enim plura distincta, atque in duas classes relata invenisset, quæ ille sub eodem nomine confundit, & omnibus idem tribuit, cum tamen diversa planè ratio singulis conveniat.

Licet agere
contra pro-
priam opi-
nionem ha-
bitualem.

2. Inprimis observavi, quod homo agere possit contra propriam opinionem habitualem, non tamen contra propriam actualem; quia cum in obscuris versetur, propriam opinionem actualem suspendere potest, illaque suspensâ, non aliter conscientiam formare, quam si illa nunquam extitisset. Ex quo deduxi, quæstionem tractantem, an liceat operari, vel consulere contra propriam opinionem actualem, pro praxi parum referre; quia si hoc sit illicitum, homo in praxi ab illo peccato se liberat, si opinionem suam actualem suspendat, atque per principia reflexa juxta benignæ sententiæ præscriptum operetur, vel consulat.

Aliquando
etiam con-
tra actua-
lem.

3. Secundò, sæpe propria opinio non enunciat de absoluta rei inhonestate, sed solum asserit, ejusdem inhonestatem esse directè probabiliorem ipsius honestate. Et quidem in hoc sensu nulla est ratio, cur contra propriam opinionem operari, & consilium dare non liceat.

Non tamen
cetera actua-
lem ultima
& absolu-
tam.

4. Tertiò, propria opinio actualis de rei inhonestate dupliciter se habere potest, primò, ut sit prorsus absoluta. Secundò, ut sit actualiter, aut certè virtualiter conditionata. Tunc est absoluta, quando cum solo respectu ad veritatem rei propositæ absolutissimè enunciat, illam esse illicitam. Tunc est virtualiter conditionata, quando ita utimur terminis absolutis, dum dicimus rem illam esse illicitam, ut illos non absolute, ut jacent, intelligamus, sed solum per illos ita speculative in objectum eorum tendimus, ut interius judicemus, inhonestatem rei fore certam, si veritas ipsa constaret. Hujusmodi judicia interna, dum speculative disputamus, per voces absolutas exprimere solemus, cum tamen judicium internum non sit prorsus absolutum, sed secundum

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

quid conditionatum; quod sufficienter etiam constat ex circumstantiis, quia periti, sicut bene norunt se similibus verbis similes actus exprimere, ita supponunt alios in ejusmodi circumstantiis talia verba pro talibus actibus internis substituere. Jam licet sententia prorsus absoluta de objecti inhonestate bonam fidem & absolutam existimationem de absoluta ejusdem honestate excludat, ideoque nemo contra talem opinionem propriam licitè agat, nihilominus propria opinio de rei inhonestate, ita verbis absolutis exterius expressa, ut tamen interius sit quodammodo conditionata, non excludit bonam fidem, & absolutam existimationem de talis rei honestate. Sic licet speculative existimem, circumstantias, in eadem specie malitiæ notabiliter aggravantes, esse necessariò constitendas, adhuc reflexè possum existimare, quod hic & nunc mihi liceat eas in confessione reticere, quia in hac rerum incertitudine satis constat, nullam legem esse sufficienter promulgatam, qua ad eas necessariò constitendas obliget. Quamvis enim hoc judicium, reflexis hujusmodi motivis nixum, excludat judicium prorsus absolutum de rei hujus inhonestate, non tamen excludit judicium illud conditionatum, quo existimo obligationem fore certam, si veritas ipsa constaret. Porro, quia propria opinio speculative semper solet esse hac aut alia simili ratione virtualiter conditionata, ideo plerumque licet operari contra propriam sententiam actualem, cum illa non excludat judicium conscientiæ, quo ad honestè operandum disponimur.

5. Quartò demum, propria opinio, in moralibus præcipuè, dupliciter sumitur: primò pro sententia ultima, qua omnibus omnino confideratis quis enunciat de absoluta honestate rei. Secundò pro sententia non ultima, qua scilicet, ommissis argumentis reflexis, ex vi rationum directè tantum probantium concludimus aliquid esse inhonestum. Jam hujusmodi sententia de rebus moralibus, speculative prolata, non est omnino absoluta, sed vel explicitè, vel certè æquivalenter & implicitè conditionata, quatenus non prorsus absolute affirmat rem esse illicitam, sed solum asserit eam pro illicita reputandam, si sola argumenta directè considerentur. In hoc sensu propria sententia actualis non excludit judicium ultimum prorsus absolutum de absoluta rei honestate, ideoque in hoc sensu licet agere contra propriam sententiam actualem.

Alius mo-
dus licitè o-
perandi cõ-
tra propriam
opinionem.

6. Hæc omnia fuse & efficaciter probavi *disq. quæst. 30. de Conscientia prob.* ubi etiam ex diversis propriæ opinionis acceptionibus ostendi, Auctores, qui in hac quæstione discrepare videntur, inter

Concilia-
tur Aucto-
res, qui de
hac re vi-
dentur con-
traria doce-
re.

inter se optimè conciliari. Ratio autem est, quia omnes ad licitè operandum bonam fidem, & absolutum de honestate operationis iudicium, requirunt. Qui ergo dicunt, illicitum esse operari contra propriam sententiam, solum loquuntur de propria sententia actuali prorsus absoluta & ultima, quia illa sola bonam fidem, & absolutum conscientie iudicium de honestate operationis ponendæ excludit. E contrario, qui asserunt licitum esse operari & consulere contra propriam sententiam, aut loquuntur de propria opinione tantum habituali, non actuali; aut, si de actuali loquuntur nomine opinionis actualis, illam intelligunt, quæ vel solum affirmat majorem probabilitatem sui objecti, vel certè, quæ non est sententia prorsus absoluta & ultima, sed aliquo modo explicitè vel implicitè conditionata, & alteri subordinata. Hisce positis, sit

ASSERTIO PRIMA.

Nulli licet operari, aut consilium dare contra propriam sententiam actualem, absolutam & ultimam de absoluta rei inhonestate. Licet tamen contra sententiam propriam habitualem, aut etiam contra propriam opinionem actualem non absolutam & ultimam sed implicitè saltem conditionatam operari, & consilium dare.

Nulli licet 7. **P**ROBATUR prima pars. Opinio actualis absoluta & ultimata de rei inhonestate excludit bonam fidem, & absolutum de eisdem rei honestate iudicium, quia talia iudicia sibi contradicunt. Ergo excludit dispositionem prorsus necessariam ad licitè operandum. Ergo peccat, qui contra propriam sententiam hoc modo sumptam agit.

Probatur secunda pars. Propria opinio habitualis, aut etiam actualis non ultima, nec prorsus absoluta, sed vel conditionata, vel solum de probabilitate sententiam ferens, bonam fidem, ac prudens conscientie iudicium de absoluta rei honestate non excludit. Ergo debitam ad licitè operandum dispositionem non impedit. Ergo licitum est in hoc sensu contra propriam sententiam operari & consilium dare. Antecedens patet ex dictis in sensu quaestionis declarando, & doctis per se patet, si ad distinctiones adhibitas reflectant. Cætera legitime inferuntur. Qui plura de hac materia cupit, legat *quæst. 30. de Consc. prob.* in qua hæc omnia singillatim probata sunt, quæ proinde non sunt repetenda, cum certum sit, argumenta Celladei ea non impetere.

8. Dices: Plures absolute docent, quod liceat contra propriam opinionem operari ac consilium dare. Ergo eorum sententiam deserimus, & aliam substituimus.

Respondet, Auctores illos juxta dicta esse interpretandos; quod si aliqui aliter loquantur, ego cum illis non sentio. Nec illi me defensore indigent; defendant ergo seipsos, si possint. Nam ego benignam tantum opinionem, unanimi omnium consensu stabilitam, suscepi defendendam. Mihi autem & omnibus benignæ sententia Auctoris abundè sufficit, si modo jam dicto contra propriam sententiam agere & consilium dare liceat. Nec Celladeus ipse diffitebitur; si enim hoc concesserit, aliud ab ipso non exigemus.

ASSERTIO II.

Opinio, quæ docet peritos posse agere ac consilium dare juxta probabilem aliorum opinionem contra propriam sententiam, optimum sensum habet, & contradictoria non verificat.

9. **P**ROBATUR assertio, quæ intento Celladei in hac *quæst. 17.* diametraliter opponitur. Inprimis ex prima assertione evidens est, opinionem, talia docentem, sensum habere multiplicem, cujus singulæ expositiones tam clarè proponuntur, ut à quovis mediocriter perito facillimè intelligantur. At hoc est opinionem esse intelligibilem, & optimum sensum habere. Ergo opinio asserens, licitum esse sectari alienam opinionem certò probabilem contra propriam, intelligibilis est, & sensum perspicuum habet.

10. Deinde, eadem opinio verissima est, ut ex dictis constat. Ergo non verificat contradictoria. Sed quia Celladeus non admittit antecedens, sic directè probo secundam partem assertionis. Si talis opinio verificaret contradictoria; id esset, quia, illà admittà, intellectus hominis, licitè sectantis alienam opinionem contra propriam, judicaret contradictoria esse simul vera. Ex propria enim sententia existimaret circumstantias v. g. notabiliter aggravantes esse necessariò confitendas, simulque ob aliorum auctoritatem putaret, illas non esse necessariò confitendas; quia ut quis licitè omittat confessionem illarum, debet formare iudicium conscientie, quo credat illas non esse necessariò confitendas, sed licitè omitti posse. At hæc iudicia sunt contradictoria, & utrumque simul eliceretur, & reputaretur verum. Ergo talis opinio, si intelligibiliter loquatur, admittit contradictoria simul esse ac judicari vera. Verum hæc ratio & sequela nulla est; quia, ut quis agat contra propriam sententiam, non est necesse ut prius illud iudicium actu existat, vel si actu existat, non est necesse ut sit tale quale supponitur in hac objectione; sed sufficit ut asserat, directam inhonestatis probabilitatem excedere directam probabilitatem de honestate operationis; vel certè non est assertio absoluta & ultima de rei inhonestate, sed solum conditionata & alteri subordinata. At quodcumque horum dicatur, sectans alienam opinionem contra propriam, non elicit duo iudicia contradictoria, ut patet. Ergo sententia docens id licere, intelligibilis est, & non verificat duo contradictoria. Major est expressa mens adversarii, quia in hoc ipso fundatur, ut ex ejus objectionibus mox constabit. Et sanè alia ratio fingi non potest, ex qua vel apparenter sequatur, quod dicta opinio reflexa verificet propositiones contradictorias. Minor constat ex prima assertionem: consequentia legitime deducitur. Ergo patenter errat Celladeus, dum dicit, opinionem, dicentem nos agere & consulere posse contra propriam sententiam, vel contradictoria verificare, vel sensum non habere. Sed hoc clariùs patebit ex solutione rationum in contrarium.

Explicare in quo sensu verificat contra propriam sententiam agere aut consilium dare.

Quod licet agere contra propriam opinionem contradictoria non verificat.

Nil obstat, aliquos in hoc contra nos sentire.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objecio 1. **O**BJICIT primò. Sit Theologus, qui post quaestionem bene discussam, de- mum opinetur, circumstantias in eadem specie notabiliter aggravantes esse necessariò confiten- das. Ergo propria illius opinio erit hæc enun- ciatio. *Omnes circumstantias, notabiliter aggravantes malitiam peccati, sunt necessariò confitenda.* Jam quod opinio cujusvis sit vera enunciatio, & non mera apprehensio, omnes admittunt; & ex eo evidenter colligitur, quod alioquin nulla inter opinantes esset contradictio, quia nulla in eorum opinionibus esset affirmatio vel negatio, seu nul- la enunciatio. Ergo propria illius Theologi opi- nio est enunciatio universalis affirmativa, quam proposuimus. Jam Theologus iste, peccata sua confessurus, sequi vult opinionem suam contra- riam, quæ docet circumstantias, non transfe- rentes ad aliam speciem malitiam, sed solum intra eandem speciem aggravantes, non esse necessariò confitendas, & consequenter omittere vult con- fessionem talium circumstantiarum. At ut sciens & volens licitè omittat illas circumstantias in con- fessione, debet formare conscientiam dictantem, *circumstantias istas, utpote solum aggravantes in ea- dem specie, non esse necessariò confitendas.* Nisi enim conscientia eliciat iudicium, quo expressè vel æquivalenter dicat, *licitum mihi est has circumstan- tias omittere in confessione*, absque dubio peccat, si eas in confessione retineat. Ergo Theologus ille simul habet dicta duo iudicia in sua mente; ac proinde existimat illa esse vera; quia omnis iudic- ans habet proprium iudicium pro vero. At illa iudicia sunt enunciationes contradictoria, quia una est universalis affirmativa, altera verò est par- ticularis negativa ejusdem de eodem. Ergo qui licitè sequitur alienam opinionem contra pro- priam, vera putat duo contradictoria. Ita Cella- deus lib. 1. quaest. 17. qui ibidem apertè fateatur, se- nsum fuisse intelligere sensum opinionis reflexè docentis, licitum esse agere & consilium dare contra propriam sententiam, ac ut eum melius intelligeret, finxisse se esse illius opinionis; neque tamen unquam alium sensum intelligere potuisse, quam quod talis operans simul eliciat duo iudicia contraria aut contradictoria, ac proinde quod si- mul reputet utrumque esse verum, ac sic in opi- nionem Heracliti incidat.

Respondeo imprimis argumentum difficultatem non continere, nisi operans in ipso instanti suæ operationis supponatur actu elicere propriam opinionem absolutam & ultimam; nullum enim absurdum est in eo, quod quis diversis temporibus ex diversis motivis propositiones contradicto- rias eliciat. At homines in instanti operationis non actu eliciunt, sed solum habitu retinent suam opinionem. Quis enim ex aliena opinione omittens confessionem circumstantiarum merè aggra- vantium, eo tempore format actuale iudicium, quod illæ etiam sint necessariò confitendæ? Nemo absque dubio. Et sanè, si ista iudicia supponantur esse contradictoria, necesse est, ut taliter operans eo tempore omittat actuale iudicium, quo propriam sententiam exprimit, quia certum est, quod qui circumstantiarum confessionem bona fide omittit, format iudicium, actuali suæ sententiæ contrarium, quo absolutè credit, illas licitè omitti posse, nec esse necessariò confiten- das. Unde opinio docens, hominem licitè ope- rari posse contra propriam sententiam prorsus

R. P. A. Terilla Regula morum. PARS I.

absolutam & ultimam, intelligenda est de pro- pria sententia non actuali, sed habituali; quæ impossibile est, quod talia iudicia simul existant in intellectu. Et sanè quoad praxim, hic est uni- cus sensus talis opinionis, quia homines non actu eliciunt propriam sententiam in eo instanti, in quo contrariam in praxi sequuntur. Itaque si pro- pria Theologi sententia sit absoluta & ultimata de inhonestate operationis ponendæ, fateor ne- mini licere contra illam actualiter existentem operari, quia illa stante impossibile est, ut bona fides de operationis honestate eliciatur, aut con- scientia permittens formetur, ut patet. Itaque in hoc sensu solum licet agere contra propriam opi- nionem actualem in sensu diviso, non in sensu composito; neque aliter loquuntur Auctores, si propria opinio in hoc sensu sumatur. Jam argu- mentum Celladei procedit in sensu composito, & consequenter procedit de subiecto non suppo- nente.

12. Respondeo secundò, argumentum non tangere eos, qui suam sententiam non per enun- ciationem de absoluta rei veritate, sed solum de majore ejusdem probabilitate directæ proferunt. Hi enim, quamvis ex rationibus directis existi- ment, inhonestatem rei esse probabiliorè, possunt simul absolutè existimare rem illam esse simpliciter licitam, quia rationibus reflexis convic- ti subscribunt benignæ sententiæ, quæ abso- lutissimè ac ultimè affirmat, usum cujusvis opi- nionis practicè probabilis, esse licitum. Unde statim inferunt, usum hujus opinionis, utpote practicè probabilis, esse licitum. Itaque propria sententia actualis de inhonestate operis, hoc mo- do sumpta, non excludit iudicium actuale de ab- soluta ejusdem honestate. Ergo utrumque iudi- cium conjungi potest; nec mirum, quia neutrum directè vel indirectè affirmat quod altera negat; nam unum illorum nil de ipsa rei veritate, sed so- lum de directæ ejusdem probabilitate enunciat, alterum nil signatè de directæ probabilitate, sed solum de absoluta rei veritate pronunciat. At hæc duo re ipsa, & quoad intelligentiam sunt separa- bilia, quia considerant rem in ordine ad diversas circumstantias.

Aliquando propria sen- tentia actualis non repugnat alio- quæ, quam sequimur.

13. Respondeo tertio, quando Auctores be- nignæ sententiæ, directè discurrendo de morali bus, probabiliter docent aliquid esse illicitum, non proferunt enunciationem prorsus absolutam & ultimam de talis rei inhonestate, sed eliciunt actum virtualiter saltem conditionatum, qui ta- proinde alteri iudicio subordinari potest, ut di- ctum est. Nec obstat, quod propositio vocalis sit absoluta, nam propositiones vocales substi- tuuntur mentalibus, & aliud non significant, quam quod à mentalibus, quibus substituantur, repræ- sentatur. Jam ex circumstantiis constat, inter- nam ac directam illorum assertionem de rerum inhonestate non esse omnino absolutam & ulti- matam, tum quia bene sciunt, se non exami- nasse omnia, à quibus honestas illius operationis desumi potest, quando directè concludunt illam esse inhonestam; tum quia ex rationibus reflexis expressè docent, hominem licitè agere contra propriam opinionem directam; ideoque locum esse novæ consultationi reflexæ, non obstante priori illa resolutione directæ. Hæc satis apertè evincunt, eos speculativo modo de rebus illis, non prorsus absolutè ac definitivè, sed quodam- modo conditionatè & subordinatè enunciare. Hoc autem admissio, nulla est contrarietas, aut contradictio inter iudicium conscientiæ de abso- luta

Opinio di- recta de in- honestate rei est ali- quo modo conditiona-

Equivocatio Celladei detegitur.

luta rei honestate, & consuetam assertionem de eisdem inhonestate; quia assertio hæc est implicitè conditionata; iudicium autem illud est prorsus absolutum. At iudicium conditionatum de inhonestate alicujus rei, nec contrariè, nec contradictoriè opponitur iudicio absoluto & definitivo de eisdem honestate; quia non sunt affirmatio & negatio eisdem de eodem secundum idem, ut patet. In hoc ergo etiam erravit Celladeus, quod acceperit propositiones vocales grammaticaliter contrarias & contradictorias (quales sunt illæ, quibus efferimus propriam cuiusque sententiam de rei inhonestate, & iudicium eisdem de absoluta illius honestate, quando alienam sequutus opinionem, bona fide credit rem esse licitam) & non rectè attenderit ad naturam actuum interiorum, quibus illæ substituuntur. Hinc enim quia propositiones illæ vocales grammaticaliter sibi contradicunt, putavit actus quibus hæc & nunc substituuntur etiam sibi contradicere. Verùm ex varietate circumstantiarum sæpissimè evenit, ut eadem voces externæ diversis valdè actibus internis substituuntur. Ad hoc si Celladeus respexisset, & opinionem ab Auctore speculativè probatam, juxta circumstantias mentem illorum apertè indicantes resolvisset, ac explicasset, vidisset utique, iudicium conscientie de absoluta rei honestate nullam oppositionem habere cum opinione speculativè probata de eisdem inhonestate.

Celladeus ob terminorum equivocationem non intellexit sensum opinionis quam impugnat.

14. Quod si Celladeus nullo nisi hæcenus intelligere potuerit, quomodo contradictoria, ex illa opinione non verificentur, illi compatiatur, & spero fore, ut cum hæc legerit, apertè visurus sit, nullam in tali sententia contradictionem, aut contradictionis umbram latere. Quod hæcenus hoc non intellexerit, ex eo ortum est, quod indebita de veritate propriæ suæ sententiæ persuasionem abreptus, diversa sub eisdem vocibus comprehensa non distinxerit, sed omnia instar unius, aut saltem instar rerum eisdem penitus rationis consideraverit. Distinguat ista, & in posterum non habeat unde viris gravissimis factam Heracliti opinionem objiciat.

Obiectio à variis prætextibus absumpta.

15. Obijcit secundò. Si in agendo liceret sequi alienam opinionem contra propriam, id ipsum etiam liceret in loquendo, in factis ad humanum convictum spectantibus, & nominatim in fide humana, quæ aliud non est, quam opinio probabilis in extrinseca auctoritate loquentis & nobiscum conviventis fundata. Ergo eadem est ratio de opinione probabilis, & de fide humana. Itaque sequela est legitima, cum nulla disparitas assignari possit. Est autem absurda, quia convictui ac societati humanæ præjudicat. Inprimis quoties de factis est fama utrimque fundata, & opiniones contrariæ virorum gravium, puta de scientia, vel ignorantia alicujus viri, de malo vel bono Prætoris regimine, toties vel nihil opinando, vel pro una parte opinando, potero (sicut è re mea erit) unum hæc, alibi contrarium dicere. Sapientiam & bonum regimen Prætoris commendare apud ejus amicos, apud æmulos verò eundem ignorantie & mali regiminis condemnare.

Rursus, si superior legitimus quærat, an Petrus crimen aliquod commiserit? potero non ex mea sed aliorum opinione respondere, cum non commisisset crimen illud, & alibi contrarium dicere, & Petrum criminis accusare.

Præterea, quando sequimur alienam sententiam, per reflexas rationes facimus ut illa sit sententia nostra. Ergo licitè secundum illam re-

spondemus. Sicut enim satisfacio legi divinæ, si operer secundum alienam opinionem, quam ex rationibus reflexis facio meam, ita pariter satisfacio convictui & societati humanæ, si ex alieno sensu probabili, & jam per rationes reflexas meo, respondeam. Ergo utrique satisfacio, sequendo sensum & opinionem alienam. Ergo licet habeam opinionem sinistram de aliquo, potero non ex mea sententia, sed ex aliorum sensu & opinione favorabilem informationem dare. Ergo qui de dignis & dignioribus principem informant, loqui poterunt ex alieno probabili contra proprium sensum. Hinc autem princeps decipietur, putabit enim se plura suffragia habere pro electo, cum re ipsa non habeat nisi unum, cui cæteri subscribunt. Hac ratione indigni promovebuntur, quia non solum minus digni, sed etiam indigni solent habere patronos viros graves. Ecce tota respublica turbaretur, si in convictu humano liceret loqui & agere secundum alienam opinionem contra propriam. Ergo id non licet. Ergo neque in doctrinalibus sequi licet contrariam opinionem contra propriam. Ita Celladeus hæc §. 5.

Respondeo inprimis, objectionem istam nil prorsus conducere ad intentum, quod Celladeus sibi in hac quaestione præfixit; nempe ad probandum, quod opinio, docens nos licitè sequi posse alienam sententiam contra propriam, contradictoria verificet. Sanè hoc solum proponitur in titulo ac declaratione quaestionis; verùm ad hoc probandum obiectio ista non conducit ut patet. Ergo impertinenter inserta fuit quaestioni præsentis, & ideo omittere illam potuissimè, ut huic quaestioni impertinentem. Cæterum quia rem ipsam tangit, & primæ assertioni, quam ut præambulam pro secundæ probatione breviter explicare debui, contrariatur, directè ex professo illam, Deo dante, dissolvam.

16. Respondeo ergo 2. nemini simpliciter loquendo licitum esse sequi aliam opinionem, quam suam propriam; in tantum enim licitè sequimur alienam opinionem directam contra nostram directam, in quantum per rationes reflexas convincimur, quod, omnibus inspectis, absoluta veritas de honestate hujus obiecti materialis residet in parte, quam aliena, non quam propria sententia directa affirmat esse licitam. Hoc autem non ideo fit, quia sententia directa contraria fiat mea (illi enim nunquam assentior) sed quia obiectum, ab illa assertum, per rationes reflexas ita comprobatur, ut omnibus inspectis per propriam sententiam à me habeatur absolutè vera. Nisi enim quis hoc modo se gerat, nunquam licitè sequitur alienam opinionem contra propriam, ut patet. Itaque nunquam licet agere contra propriam opinionem reflexam & ultimam. At opinio reflexa & ultima, rigorosè loquendo, est opinio maximè propria; tum quia ultima est, tum quia per illam ad agendum proximè dirigimur. Talis autem opinio in moralibus est præcipua, & maximè propria, ut per se patet. Ergo simpliciter loquendo nemini licet agere contra propriam sententiam; ut fusiùs ostendi quaest. 30. num. 11. de Consc. prob. his positis.

17. Concedo idem licitè fieri in convictu humano, quod licitè fit in agendo contra propriam opinionem, quando res utrobique eodem modo se habent; quia tunc eadem utrobique ratio valet. Sic si de peculiari facto dubitetur, an liceat: si videam plures peritos ac probos, auditis meis rationibus, probabiliter contra me sentire, ac licitum asserere quod ego illicitum existimo; utique

Revera in sensu stricto nemini unquam licet agere contra propriam opinionem.

Tam in facto, quam in jure licet sequi opinionem alienam.

que ex vi rationum reflexarum non minus licite me accommodo eorum sententiae, quam si quaestio non fuisset de facto aliquo particulari ad convictum humanum pertinente, sed de quaestione aliqua universali per opiniones contrarias agitata in scholis. Ratio est, quia in utroque casu ultima & reflexa mea opinio est, quod res illa liceat. Ergo si juxta illam persuasionem certò probabilem operer, non malè sed bene & licite operor. Verùm si utrobique res eodem modo se non habeant, nec habere possint, non sequitur, quòd semper liceat juxta alienum probabile loqui, aut agere. Porro an in peculiaribus circumstantiis omnia eodem modo utrobique se habeant, ex peculiari singulorum inspectione investigandum est. Cæterùm sequela in isto sensu admissa nil absurdi continet, licet sit absurdissima pro casibus, in quibus similis ratio non militat, nec adest opinio reflexa, quam sequuntur ut propriam, quæque probat licitum esse procedere juxta dictum alterius. Porro quomodo hæc vera sint, & locum habeant vel non habeant, melius patebit ex peculiari inspectione eorum, quæ Celladeus hoc loco objicit.

Exemplum Celladei non est ad rem.

18. Inprimis, si loquamur de facto aliquo, v. g. de alicujus Prætoris regimine, rarò evenit, ut de illo sint opiniones contrariæ certò probabiles, quia cum rectitudo aut pravitas regiminis ex singularibus ac indubitatis factis unicè probari possit, difficile est, ut prudentes & probi viri illa facta habeant pro prudenti ac bono regimine, quæ alii prudentes ac probi ut omni recto regimini contraria prorsus rejiciunt. Idem dico de ignorantia ac doctrina ejusdem; difficile enim est, ut viri periti quemquam, post ejus doctrinam diligenter examinatam, ut ignorantem damnent, quem alii periti & probi pro docto ac perito plurimum extollunt. Et sanè si ego ipse rem diligenter examinavi, si resolutiones illius bene perpendi, si facta contra illum objecta & probata serò ponderavi, atque in illis non nisi diligentiam, doctrinam, & prudentiam advertam, evidens mihi erit, illum inficitæ ac imprudentiæ argui non posse, quamvis fortassis alii ipso doctiores inveniantur. Similiter eundem mali regiminis condemnare non poterò, quia bonum regimen non à successu, sed à prudenti mediorum applicatione desumenda est. Itaque certum mihi erit, alios vel ex pravitate animi, vel ex passione aliqua deceptos, sine probabili fundamento eum condemnare, quamvis fortasse non fuerit prudentissimus, eò quòd meliora & aptiora media non excogitaverit, quæ alius rerum gerendarum peritior excogitare potuisset.

Utraque pars non potest esse certò probabilis in casu proposito.

19. Similiter, si audiam alios, à quibus eadem prorsus facta & dicta viri examinata fuerunt, ita inter se discrepare, ut hi illum pro docto & perito rerum administratore, illi verò eundem ut inficium nulliusque in rebus administrandis prudentiæ condemnent, manifestum erit, utroque non loqui sine affectu indebito, neque sententiam proferre sicut decet viros probos & peritos, ideoque utraque illorum opinio non poterit esse quoad se probabilis, & neutra quoad nos certò probabilis erit, quia discernere nequimus, ex qua parte defectus lateat; cum sciamus illum ex altera saltem parte latere. Itaque istiusmodi casus non sunt ad rem, quia utraque pars non est certò probabilis quoad nos, sed solum vel altera, si rem ipsam examinaverimus, vel neutra si ex aliorum tantum attestations res innotescat. At nisi certa probabilitas utrique parti

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

faveat, non sumus in materia, circa quam disputamus.

20. Verùm, ut Celladeo morem geram, suppono opinionem tam de malo quam de bono regimine esse certò probabilem (quamvis, ut antea ostendi, non videam quomodo id possit contingere, nisi nomine malæ administrationis minus bonam, minusque prudentem intelligamus) hoc tamen supposito, non ideo statim probabile erit, quod liceat illum infamare, quia certum est, quod hoc non liceat, etsi ego certò sciam illum esse gravissimorum criminum reum, nisi crimina sint publica. Ergo multò minus licebit illum infamare, quando ipsius crimen ita est probabile, ut innocens sit etiam probabilis. Itaque Celladeus hic etiam more suo confundit probabilitatem speculativam cum practica. Ex eo enim quòd non liceat in praxi sequi opinionem speculative probabilem, inferri uium opinionis practice probabilis non esse licitum.

21. Ut ergo argumento Celladei locus detur, oportet supponere non solum publicam mali bonique regiminis famam esse certò probabilem, sed etiam talem esse ejus publicitatem, ut sit etiam certò probabile, quòd liceat de alterutra seorsim loqui, malamque illius famam alius revelare. Hoc autem concessio, prorsus imperitè concludit, quod pro arbitrato, vel nil opinando, vel pro una parte opinando possim hic unum, aliud ibi dicere. Imperitè, inquam, quia qui nil opinatur, evidenter mentitur, si aliquid exterius asserat; mentiri autem est certò illicitum, nec ullus admittit talem modum procedendi esse aut absolute aut probabiliter licitum. Quod si quis interius opinetur, illum bene suo officio functum fuisse, adhuc patentioris ac turpioris mendacii reus erit, si illum reipublicæ malè administratæ diffamaverit.

22. Itaque haud dubiè quicumque opinatur unam partem, illicite facit exterius proferendo aliam; quamvis enim in casu præsentis non peccet contra justitiam, cum Prætor quoad nos famæ suæ jus perdidit, certissimè tamen peccat contra fidelitatem; unde non apparet, qua ratione argumentum Celladei aptè, & ad rem proponi possit, nisi supponamus, loquentem nunc unum nunc aliud formare judicium, atque ita nunc Prætozem apud amicos laudare, nunc illum apud æmulos vituperare. Retenta autem hac suppositione (quæ rarò admodum admitti potest, quia homines non sunt facile flexibiles in suis opinionibus, nec sine novis rationibus magni momenti ab illis recedere consueverunt) inprimis dico, talem hominem posse diversis temporibus diversis personis licite dicere contraria, nec ideo peccati ullius accusari posse; non falsitatis & mendacii, quia semper dicit, quod sentit; non injustitiæ, quia non magis peccat in hoc, quam alii, qui nunquam habuerunt bonam opinionem de viro, quia jam illius infamia est publica, & quod plus est supponimus eam esse adeo notoriam, ut sit certò probabile, quod liceat eam aliis divulgare. Fieri quidem poterit, ut contra charitatem loquatur, si apud æmulos & inimicos illius absque necessitate & sufficienti ratione talia divulget; sed hoc est per accidens ad casum nostrum, tum quia in eo casu non erit probabile, quòd ipsi liceat illum apud eos diffamare, tum quia jam de hoc non quaerimus, sed solum quid mali ex eo præcisè sequatur, quòd diversis diversa de eodem dicat; unde quoad hoc perinde fuisset, si bona inimicis, & amicis mala de ipso dixisset.

S 3

23. Di-

Aliud à Celladeo in 6. sequenter dictum.

23. Dices. Tales homines sunt duplicis cordis, duplicisque linguæ, ac proinde ab omnibus, & nominatim à Sacra Scriptura habentur dolosi, mendaces, ac mali. Ita Celladeus *ibidem*.

Respondeo, eos solum esse duplicis cordis, duplicisque linguæ, qui, nulla variatione facta in mente, alia credunt, alia dicunt; sic enim mentientes fingunt & asserunt se habere in corde, quæ non habent. At mutare sermonem, quando iudicium mutatur, non est habere cor duplex, nec duplicem linguam, sed simplicem, ut patet; quia si loquela, mutato mentis iudicio, non mutaretur, eo ipso homo esset duplex corde & linguâ, quod est abominabile, & homine ingenuo prorsus indignum. At hic est casus noster. Ergo juxta nostram doctrinam omnes tenentur non dupliciter se gerere, sed in omnibus verba menti consentientia proferre. Qui aliter faciunt dolosi sunt, mendaces, ac mali. Porro universalius perspicuum est, neminem in loquendo licite sequi posse alienam opinionem, nisi ea fiat propria; alioquin mentiretur, quia expressè contra mentem loqueretur. Rarò autem contingit, quòd homo mutet opinionem merè ob alienam auctoritatem, maximè quando uterque omnes rationes utriusque parti faventes perpendit, & unus in unam, alius in aliam sententiam abiit; quia cum constet, illum alias rationes non habuisse, quàm quas ego rejeci ut falsas, rarò contingit, ut ex reflexa consideratione rei, ut substantantis alterius iudicio, habeam motivum sufficiens ad meam sententiam retractandam, aut ad illius sententiam faciendam meam. Atque hinc apparet lata disparitas inter iudicium de honestate operationis, & de aliis objectis, v. g. de homicidio Petri; nam eo ipso quòd pars, quam ego directè sentio esse illicitam, non sit certa sed solum probabilis, & pars opposita probabilitate non careat, eo ipso suppeditantur mihi argumenta esse acissima, ad absolute existimandum, quod res illa sit licita, nempe ea omnia, quibus benignam sententiam probamus, quibusque convicti, existimamus talem rem verè esse permissam; in quo propriè non facimus opinionem alienam esse nostram, sed nos ex argumentis reflexis probamus illud esse licitum, cujus honestas directis argumentis non ita probabatur, ut illi assensum præberemus. At si sermo sit de quæstione directâ, v. g. an Petrus homicidium patrarit, nil hujus rei veritatem probat præter motiva directâ; nam licet credere possim viro gravi id asserenti, tamen suppono illum habere motiva directâ, ex quibus illud norit; neque enim ulla dantur motiva reflexa, ex quibus id inferri possit. Unde lata disparitas est inter quæstionem de licito, & de quovis alio vero, nec ab hoc ad aliud, at ab illo ad hoc arguere valet. Cæterum si res esset utrimque probabilis, & ego nescirem motiva, ob quæ alii contrarium sentirent, tanta esse poterit illorum auctoritas, ut prudenter præsumam illos habere rationes mihi ignotas, aut certè melius intelligere rationes, quibus moveor, quàm ego; in quo casu prudenter muto opinionem meam, atque illis subscribo. Tunc autem, stante hac mea opinione, peccarem si contra illam loquerer, quia apertè mentiretur.

Homo non facitè mutat opinionem, aut alienam opinionem facit suam.

Non licet quemquam excusare ex aliena opinione, quando legitime interrogamur in iudicio,

24. Hinc patet, non posse quemquam superiori legitime interroganti respondere de crimine Petri, illumque ex alieno iudicio excusare, si eum sciat, aut iudicet esse reum, quia mentiretur; quod semper est peccatum, & in legitimo iudicio crimen maximum. Quod si res esset anceps

& incerta, ac verè utrimque probabilis, tunc si tanta esset aliena auctoritas, ut omnibus tam rationibus quàm auctoritatibus debite consideratis, per ultimam sententiam crederet illum innocentem, utique teneretur illum excusare, & peccaret, si illum accusaret, quia in re gravissima contra conscientiam loqueretur. Ratio autem est, quia unusquisque indispensabiliter tenetur loqui secundum ultimum iudicium, quod habet de negotio, circa quod ejus absoluta sententia exquiritur, quia tunc quæritur quid, omnibus inspectis, de tali negotio aut facto existimet. Quod si non interrogetur de hoc iudicio ultimo, sed solum de illo, quod ex rationibus directis independentè ab aliorum auctoritate format, tenetur juxta illud respondere, quia aliter non esset verax, sed mendax.

25. Denum miror similia à Celladeo objecta fuisse, quia exemplum proposuit, in quo non apparet quomodo argumentum formari possit, quod vel apparenter benignam sententiam impetat. Certum enim est, omnem à legitimo superiore legitime interrogatum debere respondere juxta notitiam quam habet de re, super quam interrogatur; alioquin mentiretur. Jam superior si aliquem interroget de crimine alieno, plerumque petit an habeam certam notitiam; si hanc non habeam, absque dubio teneor Petrum non condemnare; si hanc habeam, teneor illum accusare, nec ad hoc quidquam refert, quod sint diversæ aliorum opiniones etiam probabiles, quia hæc ad me non pertinent, neque de illis interrogor. Quod si superior petat, non quid sciam, sed quid audiverim, teneor tam bonam quàm malam de illo famam propalare. Denum si interroget, quid sentiam, utique petit propriam meam opinionem, quæ omnibus consideratis est ultima mea sententia, & juxta illam respondere teneor. Quod si processu temporis mutem hanc sententiam, tunc si iterum interroget, teneor oppositum respondere. Quæ adeo certa sunt, ut nulla de opposito probabilitas sit, aut esse possit. Unde mirum est, res abs re adeo remotas obijci potuisse.

Quomodo respondendum sit iudici legitime interroganti.

26. Ad ultimum, quod dicit Celladeus, fateor nos posse ac debere respondere secundum opinionem alienam, si illa fiat nostra juxta dicta; verum in eo apertè errat, quòd tunc putet nos ex aliena & non ex propria, sed contra propriam opinionem ex aliena actiones nostras regulare. Apertè, inquam, errat, quia supponimus, nos tandem convictos propriam opinionem mutasse, ac alienæ subscripsisse; itaque illa non est amplius aliena exclusivè ut antea, sed solum est accumulativè aliena, quia jam est nobis communis, quæ antea alteri erat singularis. Ergo nunc sequimur propriam opinionem non alienam; quia quæ est communis non est amplius propriè aliena, licet antea esset. Et sanè hoc ipsum evidens est in usu opinionis minus probabilis juxta præscriptum benignæ sententiæ; quia licet dicamur sequi opinionem alienam, id solum verum est de opinione directâ, non ultima, sed alteri subordinata, quia verè sequimur opinionem benignam, quæ est propria & ultima opinio, qua in operando dirigimur. Idem prorsus valet in casu præsentis, si aliena opinio fiat propria, ut patet.

Scquitur propriam opinionem, qui sequitur alienam propriam.

27. Porro quod ad informationem de dignioribus principi faciendam attinet, procul dubio non licet ex alieno probabili respondere, si ego aliter

aliter sentiam; quia princeps petit meum sensum. Quod si ego, auditis aliorum rationibus, eorumque auctoritate inspecta, mitem meam sententiam, respondere debeo non juxta pristinam, sed juxta præsentem opinionem, quia si aliter loquar, apertè mentior. E contrario, si non mitem opinionem, absque dubio non licet loqui ex aliena opinione, quia hoc pariter est apertum mendacium. Jam ex hoc modo agendi nulla turbatio reipublicæ, nulla principis deceptio sequitur, quia princeps verè habet tot suffragia diversa, quot sunt suffragantes. Quod si aliquando ex hoc suffragandi modo indigni promoveantur, id prorsus est per accidens, eò quòd indignum suam dignitatem adeo probabilem reddiderit, ut à peccatis meritiò reputaretur dignissimus. Sanè, si ille suffragandi modus, quem Celladeus approbare videtur, locum haberet, turbaretur reipublica, quia suffragium ferens deberet loqui juxta opinionem præconceptam, etsi aliorum suffragantium rationibus & auctoritatibus convictus mutaret sententiam, quo nil absurdius aut turpius dici potest. Si enim non deberet ita loqui, cur culpatur Celladeus eum, qui ex aliena opinione, jam suà suffragium fert? Hoc culpatur Celladeus, & ut crimen gravissimum objicit. Ergo vult ut juxta opinionem præconceptam sententiam ferat, etsi jam, ob rationes & auctoritates aliorum, sententiam mutaverit. At hoc est facinus enorme, quod turbaret reipublicam, & est contra rationem ac praxim omnium bonorum. Ideo enim inter se conferunt consiliiarii, non ut singuli in opinione priùs concepta, obstinata inflexibilitate remaneant, sed ut in eo tandem omnes conveniant, quod omnibus inspectis aut verum, aut verosimilius est.

28. Cæterùm si loquamur de suffragiis, quibus electio dignioris perficitur, fieri poterit, ut quis ex alieno judicio suffragium prudenter ferat;

si enim omnes sint digni, & rationes, singulis faventes excedant & excedatur, ita ut difficulter cerè discerni possit quis sit dignior, sed singuli probabiliter sint dignissimi; in tali casu elector, ut certius suffragium dirigat, potest illum ex omnibus eligere, qui plura suffragia expressa habuerit. Prudenter enim præsumere potest, eum ex omnibus ejusmodi passivam vocem habentibus, esse digniorem, in quem plura suffragia conspirarint; idque maximè verum est, quando meritiò præsumimus, omnes & singulos electores, utpote notæ prudentiæ ac probitatis viros, non temerè, sed ut oportet, sua suffragia ferre. Hujusmodi suffragium tulit S. Ignatius Soc. nostræ Fundator, unà cum sociis, quando primi Generalis electio instituta fuit. Forma suffragii, ut Daniel Bartolus in ejus vita refert, fuit ista. *Me excepto, illi in Domino vocem meam do, ut sit superior, qui plura ad illud officium subeundum suffragia habuerit.* Non existimo, Celladeum, aut quemquam alium, tantæ sanctitatis ac prudentiæ virum stultitiæ ac peccati accusare velle, eo quòd ex alieno probabili in illis circumstantiis suffragium tulerit. Si eum imprudentiæ aut peccati in hoc acculent, seiplos, non illum, aut benignam sententiam condemnant, quia evidens est, nil in tali suffragio meritiò carpi posse. Præterea omnes ex hoc ipso suffragandi modo miram Sancti prudentiam ac humilitatem commendant, ut bene observat Daniel Bartolus in ejus vita. Adeo à veritate remotum est, quidquid Celladeus contra benignam sententiam objicit, ut illa ipsa quæ absurda reputat, sæpè sint apertissimè honesta; alia autem si debite distinguantur ac intelligantur, aut nullo modo tangunt benignam sententiam, aut illam confirmant, ut ex hac & aliis prioribus quæstionibus apertè constat, & uberius constabit ex sequentibus.

S. Pater Ignatius tale suffragium tulit.

Qui informat ex mente Celladei turbaret reipublicam.

Suffragium in electione dignioris prudenter fieri potest ex alieno iudicio.

QUÆSTIO VIGESIMA-TERTIA.

Vtrum Probabilitas rectè definiatur per fundamentum grave?

Intentum Celladei, cumque exponitur.

CELLADEUS lib. 2. præscribit sibi agendum de natura probabilitatis veræ, seu realis & positivæ. In prioribus autem quæstionibus rejicit communes aliorum definitiones, in posterioribus suam ponit sententiam. Nos illum comitabimur, ut quid verum, quid falsum dicat, observemus, simulque ea omnia excutiamus, quæ contra benignam sententiam objicit. In prima ergo quæstione conatur eos refellere, qui probabilitatem in genere definiunt, describunt, seu explicant, dicendo illud esse probabile, quod nititur motivo gravi, non tamen omnino convincenti. Si enim motivum convinceret veritatem, redderet rem certam, non probabilem; si autem non esset grave, non redderet rem probabilem, sed leviter tantum &

temerè credibilem. Ego de tota probabilitatis materia fusè egi *primis sex quæst. de Conscient. prob.* quas si Celladeus legisset, vidisset me plures quam ipse probabilitatis explicationes rejicisse ut insufficientes, atque ita totam veræ ac legitime probabilitatis naturam explicasse, ut nulla de ea scienda ac dignoscenda superesse possit difficultas. Proinde totus labor, quem in secundo suo libro componendo impendit, omitti potuisset, quia illius inutilitatem, ac in omnibus insufficientiam perspectam habuisset. Ego itaque acta ibi non reagam, sed datâ occasione breviter indicabo, quæ ibi fusiùs probata sunt, & explicata. Hoc solum universaliter hîc noto, Celladeum frustra gloriari, quòd in probabilitatis expositione non novas, & à se excogitatas, sed antiquas & indubitatas illius definitiones afferat. Nam ego loco